
235

SORS HUMANA
Ipsis Exequiis
VIRI
PRÆNOBILISSIMI, & AMPLISSIMI
DOMINI
JOHANNIS NOGGII,
Consulis inclutæ Reip. Thorun. Gravissimi,
Proto-Camerarii Dignissimi,
Cita quidem, beata tamen morte die 5. Dec. hor. 2. pom.
rebus mortalium erepti, & 10. mens. ejusdem titu solenniori honori rifice contumulati,
Pro sorte ingenii parum felicis ac minus exercitati
vili rudique Minerva
præsentata
ab
HENRICO REICHELIO.

C 233



THORUNII, Impressit Iohann. Nicolai, NOBIL. SENAT. & GYMN. Typographus.

***

Lector Amice,

Vin' paucis *Sortem Humanam?*
habe tribus:
Nasci. Vivere. Mori.
nasci, honeste:
vivere, pie!
mori, beate.
nasci honeste, multum:
vivere pie, plus:
mori beate, plurimum
partim ad vitam præteritam,
partim ad præsentem,
partim denique etiam ad futuram facit.
Bene huic,
cujus vita virtutibus magis, quam vitiis celebrata:
melius,
cujus fama veritate magis, quam vaniloquio decantata:
optime,
cujus ætas pietate magis, quam annis cumulata.
Magnæ ducitur laudi,
morum suavitate esse spectabilem:
majori,
virtutum splendore memorabilem:
maximæ,
fideî ac religionis cultu venerabilem.
Magnus hic Consul noster
pl. Tit.
JOHANNES NOGGIUS,
quem ultima vitæ periodus
in parvum contraxit dissyllabon,
nempe: VIXIT.
omnibus hisce enumeratis,
dum VIXIT,
maxime fuit insignis.
nota cuilibet
honesta ejus *Nativitas*:
constat inter omnes
pia illius *Vita*:
manifesta universis
Mors ejusdem beata.

Morum

Morum ſuavitate multos ad vitam moratam perduxit:
Virtutum ſplendore omnes, quos poterat, ad virtutem adduxit:
Fidei ac Religionis cultu ſingulis in vita religioſa præluxit.
Ceterum
Fortunam quam habuit,
ſemper reverenter habuit.
in ſecundis nunquam elatus,
in adverſis minime fractus:
naturam hoc in paſſu imitatus
non variabilis Chamæleontis,
ſed conſtantis Leonis,
cum lemmate:
SEMPER IDEM.
memor illius,
turpe eſſe Viro, in horas mutari.
Præterea
animus ejus usque intentus fuit DEO,
oculi affixi cœlo,
manus paratæ auxilio,
pedes ſubſidio,
totum denique corpus proximi ſaluti & commodo.
Tandem
ita ſe diu novit CONSULEM,
ut ob vires mire indies auctas vel in ſenio etiam ſe neſciverit ſenem.
Nunc,
licet ex inſperato,
gaudiis dudum ſperatis potitus
ſecura ad Superos ivit tramite,
tot exantlati laboris ac moleſtiæ
tantarumq; ærumnarum totus ſecurus,
vitamque
quam in vita amiſit debilem ac fragilem,
in cœlo mutavit in conſtantem ac meliorem.
TV,
quisquis es, Viator,
habes hic & legenda & lugenda:
lege
tuum momentum in hujus monumento,
multum in illo, non multa invenies,
ſi penſiculate, non perfunctorie legeris.
Luge
Ejus Mortem,
per merita gloriæ coacervatæ immortalem,

aut

aut potius vitam,
nemini noxiam,
multis proficuam,
cunctis probatam,
quam,
crudeli manu
atrox succidit Atropos.
Dormit nunc,
solicito corporis solutus ergastulo,
somnum naturæ perpetuum,
evigilaturus
ad perenne cœlorum gaudium.
Tumulus hic
corpus Illius quidem premit,
sed attollit Famam;
ossa tegit,
sed prodit Virtutem,
tubis sonoris
tam Vrbi, quam Orbi
post tristia etiam fata promulgandam,
cujus industriâ,
aliorum incommoda absumens
seipsum consumpsit.
His abi,
& manibus ejus bene precare,
precatus autem
SORTEM expecta,
si non parem aut eandem,
beatam tamen ac felicem,
omnibus beatis
tempore suo
a DEO temporis Autore
definito
propediem affulsuram.
VALE.

(O)

113226